



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtrum iustitia, iudicium & veritas sint comites iuramenti? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Vtrum conuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium, & veritas?

484
Inf. a. 7. **A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod inconuenienter ponantur tres comites iuramenti, videlicet iustitia, iudicium, & veritas. Ea enim quorum vnum includitur in altero, non sunt connumeranda, tamquam diuersa. Sed horum trium vnum includitur in altero: quia veritas est pars iustitiæ, secundum a. 2. q. 3. Tullium *. Iudicium autem est actus iustitiæ, vt supra Et quolibet. Ergo inconuenienter ponuntur tres comites iuramenti.
5. ar. 7. **Q** 2 Præterea, Multa alia requiruntur ad iuramentum, scilicet deuotio & fides, per quam credamus Deum omnia scire, & mentiri non posse. Ergo videtur, quod insufficienter tres comites iuramenti enumerentur.
** li. 2. de Inuent. ante fin. libri. ¶ 9. 60. a. 1.*

Q 3 Præterea, Hæc tria in quolibet opere humano requirenda sunt. Nihil enim debet fieri contra iustitiam aut veritatem, aut sine iudicio: secundum illud 1. ad Timot. 5. Nihil facias sine præiudicio, id est, sine præcedenti iudicio. Ergo hæc tria non magis debent associari iuramento, quam alijs humanis actibus.

SE D contra est, quod dicitur Hierem. 4. Jurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Quod exponens Hieron. dicit *, Animaduertendum est quod iusiurandum hos habet comites, scilicet veritatem, iudicium, & iustitiam.

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra dictum est *, iuramenti non est bonum, nisi ei qui bene vitur iuramento. Ad bonum autem usum iuramenti duo requiruntur. Primum quidem, quod aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret. Et quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis, ex parte iurantis. Secundo, quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum. Et quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis iuramento confirmat quod verum est,

Et habetur 2. 2. q. 2. c. Animaduertendum ar. prat.

est; & iustitia per quam confirmat quod licitum est. Iudicio autem caret iuramentum incautum: veritate autem iuramentum mendax: iustitia autem iuramentum iniquum siue illicitum.

Ad primum ergo dicendum, quod iudicium non sumitur hic pro executione iustitiæ, sed pro iudicio discretionis, vt dictum est *. Neque etiam veritas hic accipitur secundum quod est pars iustitiæ, sed secundum quod est quædam conditio locutionis.

In cor. a.

Ad secundum dicendum, quod & deuotio, & fides, & omnia huiusmodi, quæ exiguntur ad debitum modum iurandi, intelliguntur in iudicio. Alia enim duo pertinent ad rem, de qua iuratur: vt * dictum est. Quamuis posset dici quod iustitia pertinet ad causam pro qua iuratur.

In cor. a.

Ad tertium dicendum, quod in iuramento est periculum magnum: tum propter Dei magnitudinem, cuius testimonium inuocatur: tum etiam propter labilitatem linguæ humanæ, cuius verba iuramento confirmantur. Et ided huiusmodi magis requiruntur ad iuramentum quam ad alios humanos actus.

A R T I C. I V.

Utrum iurare, sit actus religionis siue latræ?

485

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod iuramentum nõ sit actus religionis siue latræ. Actus enim latræ sunt circa aliqua sacra, & diuina. Sed iuramenta adhibentur circa controuersias humanas, vt Apostolus dicit ad Hebr. 6. Ergo iurare non est actus religionis seu latræ.

¶ 2 Præterea, Ad religionem pertinet cultus Deo offerre, vt * Tullius dicit. Sed ille qui iurat, nihil Deo offert, sed Deum inducit in testem. Ergo iurare non est actus religionis seu latræ.

** lib. 2. de Inuēt. ante fin. li.*

¶ 3 Præterea, Finis religionis seu latræ est reuerentiam Deo exhibere. Hoc autem non est finis iuramenti, sed potius aliquod verbum confirmare. Ergo iurare non est actus religionis.

S E D contra est, quod dicitur Deut. 6. Dominum B b 4 Deum